

# SCRIPTA

**Numéro Scripta :** 5467

**Auteur(s) :** Robert d'Harcourt, Coutances (évêque)

**Bénéficiaire(s) :** Coutances (chapitre cathédral)

**Genre d'acte :** vidimus

**Authenticité :** non suspect

**Datation :** 1299, 1 décembre

**Action juridique :** confirmation

**Langue du texte :** latin

## Analyse

Robert [d'Harcourt] vidime l'acte de Hugues [de Morville] donnant au chapitre toutes les dîmes des novales.

## Tableau de la tradition

### Éditions principales

- a. Fontanel Julie, *Le cartulaire du chapitre cathédral de Coutances*, Saint-Lô, Archives départementales de la Manche (Sources inédites sur l'histoire du département de la Manche ; 1), 2003, n° 267, p. 403.

Texte établi d'après a

Universis presentes litteras inspecturis, Robertus, Dei gratia Constantiensis ecclesie minister humilis, eternam in Domino salutem. Noveritis nos vidisse litteras bone memorie Hugonis, quondam Dei gratia episcopi Constantiensis, predecessoris nostri, formam que sequitur continentes :

« Omnibus Christi fidelibus ad quos presens scriptum pervenerit, Hugo, Dei gratia Constantiensis ecclesie minister humilis, eternam in Domino salutem. Noverit universitas vestra quod nos, qui ad honorem Dei et beate Marie Virginis divinum officium in nostra Constantiensi ecclesia cupimus propensius augmentare, pensata ejusdem ecclesie utilitate et necessitate, dedimus et concessimus eidem ecclesie Constantiensi omnes decimas omnium novalium que sunt vel future sunt in quacumque parte dyocesis nostre extra metas cuiuslibet parrochie ad opus communie Constantiensis in usus canonicorum ibidem Deo servientium convertendas et insuper dedimus eidem communie quidquid percipiebamus in oblationibus in majori altari ejusdem ecclesie. Debet autem capitulum nostrum de bonis communibus dicte ecclesie honera quedam que ad nos et successores nostros pertinebant in dicta ecclesia sustinere, hec scilicet in luminari de cera eidem ecclesie providere, incensum ministrare, custodibus ecclesie salario constituere, ita tamen quod illud quod dictis custodibus antiquitus prestabamus adhuc nos et successores nostri, prestabimus in futurum. Item tenetur capitulum predictum ad minutas reparations circa campanas, videlicet in cordis et corio et unctura et flagellis et batillis renovandis, item mundare ecclesiam, facere pannos lineos lavari et eosdem et sericos resuere, claves et seras omnes ecclesie facere, et catenam thuribulorum reficere, vinum ad missas invenire, natas emere, libros religare et rotulos qui deferuntur per cathedralis ecclesias pro commemoratione abbatum defunctorum et hujusmodi personarum facienda pagare. [Hec autem acta sunt] in capitulo nostro generali, dicto capitulo consentiente et sigillum suum cum sigillo nostro huic scripto apponente. In crastino Assumptionis beate Marie, anno Domini millesimo ducentesimo tricesimo quinto. ».

Quod autem vidimus hoc testamur et omnia in predictis litteris contenta ratificamus ac tenore presencium confirmamus ac eciam approbamus, ad hoc consensu nostri caputli accedente. In cuius rei testimonium, sigillum

nostrum unacum sigillo dicti capituli presentibus est appensum. Datum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, die martis post festum sancti Andree apostoli.